

constat. Quod ergo Cicero dixit, *ignoratione rerum bonarum & malarum maximè hominum vitam vexari*, id sibi hāc Satyrā detexendum sumfit Juvenalis. Hoc enim est ipsius exordium (v. 1-11.) Tantam esse humane mentis cæcitatem, ut paucissimi verè bona à malis & vicissim queant discernere, idq; probat à votis stultissimis *Divitiarum* (v. 12-55:) *Honorum* (v. 56-113:) *Eloquentie* (v. 114-132:) *Gloriae bellicæ & Potentie* (v. 133-187:) *Longævitatis* (v. 188-288:) & deniq; *Pulcritudinis* (v. 289-345:) Contrà verò docet bonam, mentem, virtutem, fortitudinem, aliag, animi bona cum corporis sanitatem petenda esse, quum Deus longè noverit melius, quæ nobis sint optima, ultrò sepiùs largiatur, quòd homines chariores habeat, quam semetipos ipsi (v. 346-366:)

Ad eam igitur Satyram, quæ olim ego & hodie observavi, notata in hanc chartam conjiciam. I. Quando ita orditur

I.

Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus usq;
auroram & Gangem — — —
duos illos mundi cardines, Solis ortiatq; occasi, indicat: conferendus est
Lucretius, qui (*lib. VI. de R. N. v. 1104.*) pleniùs enarrat,

Nam quid Britannis cœlum differre putamus,
& quod in Ægypto est, quâ mundi claudicat axis?
Quivè quod in Ponto est, differre à Gadibus atq;
usq; ad nigra virūm, percoctaq; fæcla calore?
Quæ cum quattuor inter se diversa videmus
quattuor à ventis & cœli partibus esse.

Ubi Commentator addidit, *Britanni ab Aquilone & Septemtrionibus; Ægyptij à meridie & Austro; Pontici à Subsolano & Euro & Oriente; Gaditani à Favonio & Occidente.* Ita duo itidem posuit *Horatius* (*lib. I. Carm. 22, 17:*) *Pone me pigris ubi nulla campis arbor æstivâ recreatur aurâ;* Po-
ne sub currû nimium propinqui solis, in terrâ domibus negatâ, quâ par-
te (*III, 3, 55.*) debacchantur ignes, quâ nebulæ pluvijq; rores: quos homi-
nes *Curtius* aliquis (*IX, 2, 9.*) *relegatos in ultimum pænè rerum humanarum*
terminum dixerit. II. *Verf. 18.* dicit, *Rarus venit in cœnacula miles, ubi pau-* II.
perum intimat securitatem, quibus nullus Nero percussores immittat,

A 2

quod